

[en marge] Ecclesia parochialis Conceptionis beatae Mariae virginis de loco Pignae

Eadem die.

Praefatus dominus Ferrarius visitator qui supra (etc.).

Visitavit ecclesiam sub invocatione beatissimae Virginis Conceptae de loco Pignae, in qua post visitationem et adorationem sanctissimi sacramenti illud intra pixidem totam argenteam reposuit in tabernaculo ex ligno, cuius ostiolum mandavit pingi, vel apponi imaginem sacramenti vel Christi Iesu. Habet calicem [273v] cum patena et cuppa argentea et est sufficienter provisa de paramentis.

Visitavit etiam fontem baptismalem habentem concam marmoream, intra cuius ciborium conservantur omnia sancta olea in suis vasibus stamneis, et toleravit quoad vas olei pro infirmis, mandans ei provideri de bursa violacei coloris cum suis cordulis similibus sericeis.

Sedes confessionales sunt ad formam.

Ecclesia est de archipresbyteratu Corbariae, et adest vicecuratus amovibilis qui residet cum facultate ordinarii, et in praesenti est reverendus dominus Antoniottus de Thadaeus de Corbaria. Habet de redditu libras centum circiter.

Libri parochiales sunt ad formam.

Animae huius parochiae sunt 100 circiter et quae communicantur 60.